MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-7

AUTHOR:

PAAPE, CONRAD

TITLE:

DE C. MARIO QUAESTIONES...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1888

Master Negative #

93-81265-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Paape, Conrad, 1860-
De C. Mario quaestiones selectae; dissertatio inauguralis historica quam... publice defendet auctor Conradus Paape... Regimonti, Ex officina Hartungiana, 1888.
49 p. 21 cm.

Thesis, Königsberg, 1888.

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 04/07/93 INITIALS Emd
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

DE C. MARIO

QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXVIII.
HORA XII.

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CONRADUS PAAPE,

LANDSBERGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

MAX BENDER, CAND. PROB.
ERNESTUS LAMPE, CAND. PHIL.

REGIMONTI.
EX OFFICINA HARTUNGIANA.
MDCCCLXXXVIII.

Ad C. Marii historiam et antiquitate et nostra memoria conscriptam ii auctores, qui eius aequales de ipsorum egerunt vitis aut aetatis suae commentarios perscripserunt, quibus, ut infra explicemus, fontibus Livius, Plutarchus, Appianus usi sunt, maximam vim habuerunt. Neque enim eam solum ob rem, quod ab optimatibus stabant, sed etiam quod ipsi graves inimicitias cum C. Mario gerebant, de eius gloria detraxerunt atque etiam ei ignominiam intulerunt. Itaque cum iis parva modo fides tribuenda sit, multas res de industria ab iis confictas et ementitas esse infra demonstrare mihi est in animo, quas illi tradiderunt de C. Mario annis CIII, CII, CI, C a. Chr. n. in republica versante.

Mommsen,[1] Long,[2] Ihne,[3] Lange,[4] Duruy,[5] Neumann[6] maxima ex parte, quae Livius, Plutarchus, Appianus memoriae prodiderunt, qui, ut diximus, ex scriptoribus C. Mario infestis hauserunt, sequuntur. Primus thor Straten libello quodam, qui inscribitur Rettungen des C. Marius,[7] in crimina falsa Mario data acri iudicio processit.

---

1) Römische Geschichte Bd. II[7] p. 191, 192, 197—208.
2) Decline of the Roman republic Vol. II p. 108—119.
3) Römische Geschichte Bd. V p. 219—236.
4) Römische Altertümer Bd. III p. 70 - 82.
5) Histoire des Romains tom. II nouvelle ed. p. 159—163.
6) Geschichte Roms Bd. I p. 366, 413—430.
7) Programm von Meldorf 1869.

In eandem sententiam, multo autem accuratius Kiewiet de Ionge[1]) de Marii vita disseruit atque etiam de scriptoribus, qui eius aetatem tractaverunt, copiosius exposuit. Sed in ipsis rebus annis CIII, CII, CI, C a. Chr. n. gestis enarrandis, iis, quae Livius, Plutarchus, Appianus tradiderunt, saepe nimiam fidem adiunxit. Cui cum nulla res in Marii vita exponenda difficilior videatur esse quam sextus illius consulatus[2]), de rebus hoc anno, quo Marius primum Roma non decessit, gestis paucis modo verbis utitur.

Defensionem dignitatis L. Appuleii Saturnini et C. Marii Ernestus Bardey[3]) scribere conatus est, sed scriptum hoc sine ulla cura et diligentia compositum est. Huc accedit, quod Bardey haud ita magnam memoriam rerum Romanarum tenet atque artis criticae intelligentiam non habet, cogitatione autem saepe res sibi depingit.

Cuius neglegentiae argumento sint hi loci, qui facile augeri possunt. P. 48 Bardey quidem dicit: „Drumann[4]) weist zwar nach, dass beide Männer (sc. Metellus und Marius), nachdem Marius den Optimaten bereits weit an Ruhm überflügelt hatte, bis zum Jahre 101 reundschaftlich mit einander verkehrt haben", Drumann autem illo loco demonstrat Sullam et Marium usque ad hunc annum amicitiam inter se coluisse. Iam Bardey affirmat (p. 15) quintum diem ante Idus Decembres anni centesimi a. Chr. n. scundum librum Mommseni, qui inscribitur Römische Chronologie,[5]) diem fastum non

1) De Gaio Mario et de scriptoribus, qui de eius temporibus egerunt, quaestiones.

2) p. 38.

3) Das sechste Consulat des Marius oder das Jahr 100 in der römischen Verfassungsgeschichte.

4) Geschichte Roms Bd. II p. 430.

5) 2. Ausg. p. 232.

fuisse, quare fieri non potuisse, ut comitia haberentur. Dierum fastorum autem index a Mommseno in eo, quem commemoravimus, libro, positus non ad tempora liberae reipublicae sed ad Augusti modo aetatem pertinet. Quam indiligenter scriptores antiquos in Germanicam linguam converterit, ex hoc apparet. Ex Ciceronis verbis:[1]), Patruus, inquit, (sc. Labienus accusator) meus cum Saturnino fuit. Quid, pater quicum? quid, propinqui vestri, equites Romani? quid, omnis praefectura, regio, vicinitas vestra? quid, ager Picenus universus utrum tribunicium furorem an consularem auctoritatem secutus est?' haec efficit (p. 9): „Abgesehen — von dem Vater und dem Oheim des Labienus und deren Verwandten folgten — den Volksführern noch equites Romani, omnis praefectura, regio, vicinitas, endlich ager Picenus universus. At non solum hoc loco, sed etiam paulo ante contraria narrat Cicero.[2]) Atque etiam hoc animadvertendum est Bardeyum auctores suos incredibilem in modum interpretari et supplere arbitratu suo, ubi illi tacent. Nam Cassii Dionis verba[3]): *τήν τε ἀρχὴν καὶ ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος, ὅπως καὶ τὰ λοιπὰ προσκατεργάσηται, παρ' ἑκόντων καὶ ὁμογνωμονούντων αὐτῶν ἔλαβεν* (sc. *Μάριος*), sic explanat (p. 35) Marium a populo consulem declaratum esse, ut legibus aliisque rationibus malis reipublicae ingravescentibus mederetur, quamquam verba *παρ' ἑκόντων καὶ ὁμογνωμονούντων αὐτῶν* non ad populum sed ad *εὐπατρίδας*, qui brevi ante nominati sunt, referenda sunt ac toto fragmento de victoria modo Marii disseritur a Teutonibus reportata et de omnium spe in Mario posita cum exspectarent futurum esse, ut Cimbri quoque

1) pro Rab. perd. r. 8,22.

2) 7,20.

3) fragm. 94.

ab eo devincerentur. Iam ex iis, quae Diodorus de legatis Mithridatis a Saturnino ignominia affectis, quod pecunia senatum ad suam causam perduxissent, memoriae prodidit,[1]) Bardey Saturninum legatos lapidum iactu violavisse concludit (p. 26). Diodorus autem nihil nisi haec dicit: *Σατορνῖνος — μεγάλην ὕβριν τῇ πρεσβείᾳ ἐνεδείξατο.* Neque minus ad arbitrium suum Bardey iudicat, cum dicat (p. 43) Q. Servilium Caepionem, quaestorem, quod de lege Appuleia frumentaria suffragia ferri per vim prohibuisset, condemnatum esse.[2]) Cornificius[3]) enim, qui unus de ea lege prodidit, solum his verbis utitur: arcessitur Caepio maiestatis; praeterea certum est Caepionem postea magnopere equestri ordini deditum[4]) in M. Aemilium Scaurum, senatus principem, iudicium postulasse,[5]) quod, si tum damnatus esset, facere non potuit, cum laesae maiestati supplicium constitutum esset, ut infra demonstrabimus. Quid? quod legem Appuleiam frumentariam a populo acceptam esse Bardey affirmat (p. 43), tametsi apud Cornificium Caepionem impetu in suffragia ferentes facto impedivisse, quo setius ferretur, scriptum videmus?

Sequitur porro, ut nonnulla exempla, ex quibus appareat, quam ignarus rerum Romanarum Bardey sit atque earum, quae haud ita multo ante aut post annum centesimum a. Chr. n. gestae sint, afferamus. P. 25 profecto Bardey contendit in Romanorum potestate novam provinciam fuisse, Numidiam, eo tempore, quo Saturninus, ut C. Marii militibus veteranis centena agri iugera in Africa dividerentur (a. CIII. aut C.), legem rogavit. Error, quo Bardey captus est, eo magis vituperandus est,

1) 36, 15.
2) p. 43.
3) ad Her. 1,12, 21.
4) Brut. 62, 223.
5) Cicero pro Scaur. 1,1. 2.

quod in omnibus fere libris de historia scriptis legitur senatum Romanum Numidiam in provinciae formam non redegisse, sed Iugurthae regni partem, quae ad occidentem vergebat, sub imperium Bocchi, regis Mauritaniae, subiunxisse et reliquam partem, Gaudae, qui solus erat superstes Masinissae nepotum, dedisse. Iam Bardey, quamquam Langeum testem producit,[1]) falsam opinionem de lege a Mario, tribuno plebis, rogata habet, cum dicat p. 36: „Gerade er hatte ja als Volkstribun eine Lex gegen Bestechung bei Amtsbewerbungen gegeben.“ Nam et apud Langeum et apud scriptores antiquos legimus C. Marium, tribunum plebis, pertulisse legem, quae in comitiis pontes faceret angustos,[2]) ne nobiles inspicerent tabellas ne rogarent, ne appellarent ferentes suffragia. Etiam in errore versatur Bardey, si credit (p. 9 et 69) C. Rabirium, senatorem, viginti tribus annis post Saturninum interfectum perduellionis reum factum esse, cum Cicero orationem pro C. Rabirio consul habuerit,[3]) i. e. anno sexagesimo tertio a. Chr. n., quod Asconius Pedianus quoque confirmat.[4]) Neque minus Bardeyo crimini dandum est, quod nescit (p. 14) candidatos consulatus neque praesentes profiteri neque comitiis adesse debuisse.[5]) Si porro Bardey C. Marii elogium commemorans affirmat id ad fastos Capitolinos pertinere (p. 7), eum hoc indice magistratuum haudquaquam institutum esse optimo iure iudicari potest.

Restat, ut paucis verbis demonstrem, Bardeyum artis criticae intelligentiam non habere. Quod vel inde apparet, quod saepissime fontibus ipsis neglectis ea afferre satis habet, quae de ea re iudicaverunt, qui nostra me-

1) Röm. Altert. III² 80.
2) Cicero de legg. 3,38. Plut. Mar. c. 4.
3) Cicero pro Rab perd. r. 1,2.
4) ed. Kiessling et Schoell p. 5.
5) Mommsen Römisches Staatsrecht I³, 503.

moria illorum temporum historias scripserunt.[1]) Quo factum est, ut id, quod de lege Maria dicit, erroris plenum sit et Paulyi opere, qui Real-Encyclopädie incsribitur, nimis confisus[2]) verba: „(sc. Memmius) homo infestissimus nobilitati" Ciceronem in libro, qui de oratore inscribitur, 2, 70. 283 sripsisse putet (p. 58), quamquam ibi haec verba: ‚accusator C. Memmius ‚vide', inquit, ‚Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor' leguntur.[3]) Quid? Ecquam intelligentiam artis criticae habet, qui res traditas ab sua argumentatione dissidentes silentio praeterit atque etiam saepe contraria affirmare audet? Nam eos locos, quibus narratur Saturninum leges agrarias per vim pertulisse,[4]) non modo tacet, sed etiam contendere non dubitat (p. 42): „Ohne jede Anwendung von Gewalt, rein auf dem Wege der Gesetzgebung, wobei unvermeidlicher Weise nur die Autorität des Senats bisweilen ein wenig hintangesetzt wurde, ging die Entwickelung vor sich" ac (p. 51) „Bei der Abstimmung über die Koloniegesetze suchten die Optimaten das formelle Hindernis eines zufällig heraufziehenden Gewitters geltend zu machen. Aber Saturninus war keineswegs der Mann, der sich durch solche Vorwände von seinem Vorhaben abbringen liess. Deswegen erwiderte er den lärmenden Nobiles schneidig: Iam nisi quiescitis, grandinabit. Die Gesetze wurden ebenfalls vom Volke angenommen." Idemque, quamquam locum

1) cf. p. 20, 22, 23, 28, 44, 48.

2) Bd. 4 p. 1754.

3) Auctorem vitae C. Memmii breviter expositae, quae illo Paulyi opere in voce Memmii continetur. illa verba: ‚(sc. Memmius) homo infestissimus nobilitati' ex Onomastico Tulliano (ed. Orelli — Baiter in voce Memmii) hausisse, mihi persuasum est, ubi ex illo loco (de orat. 2,70. 283) concluditur, C. Memmium hominem nobilitati infestissimum fuisse.

4) Appian: bellum civile 1,30; Cicero pro Sest. 16,37.

Ciceronis:[1]) 'utrum tandem C. Marius splendidior cum eum C. Glaucia laudabat, an cum eundem iratus postea vituperabat'? p. 7 subnotat, tamen, cum persuasum habeat Marium cum Saturnino et eius sociis usque ad eorum mortem amicitia coniunctum esse (p. 53 et 70), sed ab hac sententia illum locum Ciceronis abhorrere intellegat, ne verbum quidem de illo loco facit.

Ex his, quae attuli, satis perspicuum esse puto hoc scriptum nullius pretii esse ac in rebus anno centesimo a. Chr. n. gestis disserendis omnino neglegi posse.

Conspectus fontium.

Res annis CIII, CII, CI, C gestae miserrime memoriae traditae sunt, cum opera illius aetatis aequalium perdita sint. Huc accedit, quod omnes optimatium studiosissimi erant, cum, qui causam popularem suscipiebant, saepe gravissime tractarentur. Nam C. Decianus quidam, quod queri est ausus in contione de morte Saturnini, condemnatus est[2]) et Sex. Titius[3]) iam propterea, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae. Praeterea complures auctores cum C. Mario magnas exercebant inimicitias, in quibus Q. Lutatius Catulus,[4]) L. Cornelius Sulla, M. Aemilius Scaurus[5]), P. Rutilius Rufus,[6]) qui rerum suarum commentarios composuerunt aut ipsorum vitas depinxerunt. Itaque factum est, ut scriptores posterioris temporis ex fontibus Mario iniquissimis solum haurire neque ad fidem historiae narrare

1) De harusp. resp. 24,51.

2) Val. Max. 8, 1. damn. 2 Cicero pro Rab. perd. r. 9, 24.

3) Cicero pro Rab. perd. r. 9, 24.

4) Cicero de orat. 3, 3. 9; de deor. nat. 3, 32. 80. Tuscul. disput. 5, 19. 56.

5) Cicero de prov. cons. 8, 19.

6) Plut. Mar. c. 28.

possent. Qui de rebus C. Marii aetate gestis exposuerunt, superstites sunt: Cicero, Sallustius, Livius, Orosius, Plutarchus, Appianus, auctor libri de viris illustribus, Florus, Valerius Maximus, Cornificius, Granius Licinianus, Diodorus, Cassius Dio, Velleius Paterculus.

Ac primum quidem de Cicerone mihi dicendum est, quem unum ex auctoribus, qui exstant, res gestas ab iis, qui temporibus C. Marii fuerunt, exquisisse constat. Nam Marium ipse cognovit[1] et cum anno sexagesimo tertio cum Hortensio Hortalo, celeberrimo oratore, patrocinium causae C. Rabirii, senatoris, qui ab T. Atio Labieno, tribuno plebis, necati Saturnini accusatus erat, suscepisset, res anno centesimo a. Chr. n. gestas quae multorum testimoniis confirmatae erant[2] accuratissime disseruit. Ut ab optimatibus stat, cum loquatur: ‚ego autem, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen (sc. necati Saturnini), agnoscerem, confiterer,'[3] ita Saturninum sine ulla mercede abstinenterque in re publica versatum esse fateri veritus non est.[4] Etsi C. Marium conservatorem Romae et patrem patriae vocat,[5] tamen in iis scriptis, in quibus, ne in populi offensionem incurrat, ei timendum non est, retineri non potest, quin vitia quoque municipis sui afferat, si ei obicit, quod Q. Metellum, cum ab eo Romam dimissus esset, apud populum criminatus sit et consul factus a fide iustitiaque discesserit[6] atque crimini dat, quod victoria crudeliter usus sit, cum Q. Catulum

1) Auct. orat. post red. ad Quirites 8, 19.
2) Cicero pro Rab. perd. r. 6, 18.
3) — pro Rab. perd. r. 6, 18.
4) — pro Sest. 16, 37; 49. 105.
5) — pro Rab perd. r. 10, 27; Catilin. 4, 20. 21; pro ege Man. 20, 60; pro Balb. 20, 46; pro Sest. 16, 37; de provinc. cons. 13, 32.
6) De officiis 3, 20. 79.

et alios occidi iuberet.[1] Quod igitur Cicero C. Marii virtutes praedicat neque vitia silentio praeterit et quod ipse res ex iis, qui C. Marii temporibus fuerunt, requisivit, res ab eo traditas, nisi ex quibus causis eum a veritate deflexisse constat, semper aliis anteponemus.

Cum Sallustius, cuius liber, qui inscribitur de bello Jugurthino, modo usque ad annum (CIV. pertinet, hic praeteriri possit, proximum est, ut de periochis T. Livi pauca verba faciam. Qui cum ante vicesimum septimum annum a. Chr. n. historiam perscribere non coeperit, ab iis, qui rebus anno centesimo gestis interfuerant, vix quidquam comperisse potest, quod partim mortui, partim senectute nimis confecti erant. Cumque multa, quae memoriae prodidit, commenticia sint, non esse dubium videtur, quin scriptoribus Mario infestis usus sit. Nam Marium Saturnino, ut A. Nunnio competitore necato tribunus plebis crearetur, auxilium tulisse, et Marium auctorem fuisse seditionis, qua Metellus in exilium eiectus est, et Marium sextum consulatum pecunia per tribus sparsa emisse,[2] apud eum invenimus, quae omnia conficta esse infra demonstrabimus. Cum autem secundum Plutarchum[3] Rutilius Rufus tantum Marium suffragatores pecunia corrupisse narraverit, Livium hoc auctore usum esse pro certo affirmari posse puto.

Venio ad Orosium, cui seditionum anno centesimo a. Chr. n. ortarum causae inextricabiles esse videntur.[4] Quae prodidit, aut ex Livio ipso[5] aut epitoma eadem, ex qua periochae superstites excerptae sunt,[6] hausta sunt,

1) De deor. nat. 3, 32. 80. Tusc. disp. 5. 56; ad Attic. 5, 9. 3; de orat. 3, 2. 8.
2) l. 69.
3) Mar. c. 28.
4) V, 17.
5) cf. Mörner: de Orosii vita p. 104 sq.
6) Zangemeister: Paulus Orosius, praefat. p. XXV.

ita ut multi loci interdum paene ad verbum congruant, ut haec:

Livius (per. l. 69)

L. Appuleius Saturninus, adiuvante C. Mario et per milites occiso A. Nunnio competitore tribunus plebis per vim creatus — Metello Numidico, quod in eam (legem agrariam) non iuraverat diem dixit. — profecto (sc. Metello) C. Marius, seditionis auctor — aqua et igni interdixit. Idem Appuleius Saturninus trib. pleb. C. Memmium candidatum consulatus, quoniam adversarium eum actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu, in cuius causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundam fortunam, transierat.

Orosius (V, 17)

A. Nonnium deinde competitorem suum Saturninus et Glaucia fraude C. Marii consulis occiderunt. — Marius sextum consul et Glaucia praetor et Saturninus tribunus plebis conspiraverunt Metellum Numidicum in exilium quacunque vi agere. Die dicta — innocens Metellus damnatus —. Idem Saturninus Memmium, virum acrem et integrum, fieri consulem timens — interfecit. Fremente pro tantis rei publicae malis senatu populoque Romano, Marius consul adcommodato ad tempus ingenio, consensui bonorum sese immiscuit.

Deinceps breviter disseratur de vita Marii a Plutarcho exposita. Res autem ab illo commemoratae, quantopere interdum de industria depravatae sint, iam ex locis sibi repugnantibus facile cognosci potest. Ipse quidem auctores suos nominat Sullam[1]) et Rutilium Rufum,[2]) Catuli autem commentarios ipsos non legit.[3])

1) Mar. c. 25 c. 26.
2) Mar. c. 28.
3) Mar. c. 25.

Itaque summa cautione Plutarchi traditione utendum est.

Nunc de Appiani narratione pauca exponam. Quam etsi Bardey popularibus infestissimam esse dicit (p. 13), tamen hoc negari posse puto, cum Appianus[1]) magna laude de Gracchorum legibus loquatur, quarum dissolutione civium et militum magnam inopiam exortam esse existimat. Sed, quod Appiani narratio cum Livio et Plutarcho magnopere consentit[2]), scriptoribus Mario iniquis Appianum usum esse verisimillimum est.

Auctor libri de viris illustribus porro res breviter, sed sine ira et studio narrat.

Pauca, quae Florus, Valerius Maximus, Cornificius, Diodorus, Cassius Dio, Velleius Paterculus, Granius Licinianus narrant, occasione oblata tractem.

Illa pars elogii Marii denique, quae ad nostram quaestionem pertinet, haec est: rem publicam turbatam seditionibus tribuni plebis et praetoris, qui armati Capitolium occupaverant VI. consul vindicavit (sc. Marius).[3])

Quo ex fontium conspectu, quam miserrime rebus ab anno centesimo tertio usque ad annum centesimum gestis imbuti simus et quam difficile sit, certam earum rerum effingere imaginem, facile est intellegere.

1) bell. civ. 1 27.
2) bell. civ. 1, 28—33.
3) C. I. L. I. p. 290; Orelli 543; Wilmanns 632.

Num Mario cum Saturnino et Glaucia necessitudines fuerint.

Mommsen[1]), Lange[2]), Ihne[3]), Neumann[4]), Duruy[5]), Long[6]) Mario cum Saturnino et Glaucia necessitudines fuisse, ut alius alium in propositis assequendis adiuvaret, arbitrantur. Quam sententiam se Livii, Orosii, Flori, Plutarchi, Appiani testimoniis confirmare posse putant. Sed cum hi scriptores illam rem paucis absolvamus ac, ut supra commemoravimus, Plutarchum ex Sulla et Rutilio Rufo, qui Mario infestissimi erant, hausisse constet et Livium et Appianum eosdem et alios auctores a Mario alienos secutos esse verisimillimum sit, operae pretium nobis esse credo Ciceronem auctorem adhibentibus deliberantibusque, qualia tempora tum fuerint, perscrutari, num re vera Marius causam cum Saturnino et Glaucia communicaverit.

Itaque de illorum scriptorum singulis locis, quibus de ea re scriptum est, accuratius disseramus. Plutarchus[7]) quidem dicit: *Μετιόντων δὲ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν τὴν ὑπατείαν Λούκιος Σατορνῖνος, ὁ μάλιστα τῶν δημάρχων ἄγων τὸ πλῆθος, ὑπὸ τοῦ Μαρίου τεθεραπευμένος ἐδημηγόρει κελεύων ἐκεῖνον ὕπατον αἱρεῖσθαι. Θρυπτομένου δὲ τοῦ Μαρίου καὶ παραιτεῖσθαι τὴν ἀρχὴν φάσκοντος, ὡς δὴ μὴ δεομένου, προδότην αὐτὸν Σατορνῖνος ἀπεκάλει τῆς πατρίδος ἐν κινδύνῳ τοσούτῳ φεύγοντα τὸ στρατηγεῖν. Καὶ φανερὸς μὲν ἦν ἀπιθάνως συνυποκρινόμενος τὸ προσποίημα τῷ Μαρίῳ τὸν δὲ καιρὸν ὁρῶντες οἱ πολλοὶ τῆς ἐκείνου δεινότητος ἅμα καὶ τύχης δεόμενον ἐψηφίσαντο τὴν τετάρτην ὑπατείαν.* Atque Livius idem sentire videtur, cum periocharum auctor tradat:[1]) quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est (sc. Marius).

1) Röm. Gesch. II[7] p. 199—200.
2) Röm. Altert. III p. 70. 75. 76.
3) Röm Gesch. V, p. 219.
4) Gesch. Roms I p. 416. 418.
5) Hist. des Rom; nouv. ed. II p. 159—163.
6) Decline of the Rom. rep. II p. 111.
7) Mar. c. 14.

Mariusne autem tam longe a spe quarti consulatus afuit, ut Saturnini auxilio sibi opus esse putaret? Quam ut quaestionem satis solvamus, quae tum singularum partium voluntates fuerint, nobis cognoscendum est. Tota Italia ingenti clade apud Arausionem accepta etiam tum movebatur et Cimbrorum periculum magis quam antea Italiae imminebat. Huc accessit, ut novum et grave bellum exarsisset. Nam servi in Italia et Sicilia magnam seditionem concitaverant ac in Italia devicti totam Siciliam praeter oppida expugnaverant, postquam P. Licinium Nervam, praetorem (CIV), bis in fugam converterunt; et quamquam a L. Licinio Lucullo, praetore (CIII), apud Scirthaeam superati erant, tamen postea tam superiores fuerant, ut ille Romae, quod bellum male gessisset, accusaretur. Itaque populus magno odio in nobiles, qui rempublicam paene in praeceps dederant, accensus erat atque populares vehementissime in eos progressi erant. Nam duo homines novi anno CIV. consulatum administraverant, Marius et F. Fimbria,[2]) id quod antea nunquam factum erat et Plutarchus his verbis illustrat:[3]) *οὐδενὸς ἀνασχομένου τῶν ἀπὸ γένους μεγάλων ἢ πλουσίων οἴκων ἐπὶ τὰς ὑπατικὰς κατιόντων ἀρχαιρεσίας.* Iam L. Cassius Longinus, tribunus plebis (CIV.), complures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulerat, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset in se-

1) l. 67.
2) Cicero pro Planc. 5, 12.
3) Mar. c. 11.

natu ne esset.[1]) Qua ex lege primus e senatu eiectus est Q. Servilius Caepio, qui ante biennium consul fuerat et cui populus, quia a Cimbris fusus fugatusque erat, abrogaverat imperium. Qui anno centesimo tertio propter culpam huius cladis capitis esse damnatus videtur.[2]) Atque etiam lege C. Domitii Ahenobarbi, tribuni plebis, tum cooptatio collegiorum sacerdotum, quod firmissimum praesidium nobiles iure iudicaverant, ad populum translata erat.[3])

Praeterea equites quoque ira in optimates inflammati erant. Causa autem indignationis erat, quod cladibus Gallicis et Siciliensibus acceptis res magnas non modo amiserant, sed etiam tunc amittebant. Nam cum multis irruptionibus a Cimbris, Teutonibus, Tigurinis, Tectosagis in Galliam Narbonensem, provinciam, factis agri devastati et exspoliati essent, permulti equites negotiationem infeliciter experti erant atque pecunias magnas in eam provinciam collatas amiserant. Quo factum erat, ut commercium Galliae et Britanniae gentium propter incertum omnium rerum statum plane iaceret. Ac quantas fortunas in Sicilia perdiderant, ubi omnes fere agri in manibus servorum erant, ut neque vectigalia neque mercedes exigi possent? Quam ob rem non solum multos publicanos et negotiatores eo tempore conturbasse, sed etiam ex aliis ordinibus cives in maximas angustias adductos esse puto. Egregie Cicero in oratione de imperio Cn. Pompei habita res Asiae provinciae et mercatorum calamitatem, priusquam ad Cn. Pompeium summum imperium belli in Mithridatem gerendi translatum

1) Ascon. Ped. ed. Kiessling et Schoell. p. 69.
2) Gran. Licin. ed. phil. Bonn. h. p. 21. Valer. Max. 4, 7. 3.
3) Cicero de lege agrar. 2, 7, 18; Laelius 25, 96. Vell. Paterc. 2, 12. 3.

esset, describit, cum dicat[1]): in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse adfert calamitatem: nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si inruptio nulla facta est, tamen pecuaria relinquitur, agri cultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit; ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest: qua re saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amittitur. quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter adsint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in saltibus habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? — publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt: — deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque industrii partim ipsi in Asia negotiantur, — partim eorum in ea provincia pecunias magnas conlocatas habent. — deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus: nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse; non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. — haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant!" Ex quo facile cognosci po-

1) 6,15—19.

test, quantis calamitatibus ordo equester et multi ex aliis ordinibus post clades in Gallia et Sicilia acceptas afflicti sint. Cumque culpa omnium casuum adversorum optimatibus iure attribueretur, quod C. Papirius Carbo, M. Aurelius Scaurus, M. Iunius Silanus, L. Cassius Longinus, Cn. Manlius, Q. Servilius Caepio, P. Licinius Nerva devicti erant, equites quoque in optimates magna ira incensos esse consentaneum est. Itaque credi non potest, populares ac equites demum a Saturnino commotos esse, ut Marium consulem rursus crearent et Marium a Saturnino petivisse, ut populo ipsum consulem commendaret, praesertim cum Marius brevi post bis consul diceretur, cum Saturninus tribunus plebis non esset et Plutarchus ipse his verbis utatur:[1]) *τὸν δὲ καιρὸν ὁρῶντες οἱ πολλοὶ τῆς ἐκείνου δεινότητος ἅμα καὶ τύχης δεόμενον ἐψηφίσαντο τήν τετάρτην ὑπατείαν.*

Saturninum autem populo suasisse, ut Marium consulem crearet, non infitiamur. Nam Saturnini plurimum interfuit favorem illius viri, in quo ea tempestate spes atque opes civitatis sitae erant,[2]) sibi conciliare atque etiam eum adducere, ut se in propositis peragendis consilio et re adiuvaret. Iam concedimus Marium consulatum accipere initio abnuisse, cum multi sint, qui gloriae cupidissimi modestiam simulant. At Marium composito consilio a Saturnino ad consulatum accipiendum commotum esse, nobis deliberantibus, quomodo res tum se habuerint, negandum est. Accedit, quod Cicero, quamquam in iis libris, in quibus plebis ratio ei habenda non est, Marium, ut supra diximus, vehementissime vituperare non veretur, tamen Mario convenisse illam rem cum Saturnino nusquam commemorat.

Alterum argumentum necessitudinum Mario cum

1) Mar. c. 14.
2) Sall. bell. J. c. 114.

Saturnino intercedentium haec afferuntur: *καὶ μάλιστα περὶ τὴν τελευταίαν (ὑπατείαν) ἐφθονεῖτο* (sc. *Μάριος*) *πολλὰ συνεξαμαρτάνων τοῖς περὶ τὸν Σατορνῖνον. Ὧν ἦν καὶ ὁ Νωνίου φόνος, ὃν ἀντιπαραγγέλλοντα δημαρχίαν ἀπέσφαξεν ὁ Σατορνῖνος,*[1]) et: L. Appuleius Saturninus adiuvante C. Mario et per milites occiso A. Nunnio competitore tribunus plebis per vim creatus[2]) et: A. Nunnium deinde competitorem suum Saturninus et Glaucia fraude C. Marii consulis occiderunt.[3]) Sed meo quidem iudicio Saturninus tum tribunatus repulsam novies non tulisset, ut Valerius Maximus narrat,[4]) si Marii auctoritate et opibus adiutus esset, neque Marius, si tribuni plebis auxilio sibi opus esse putavisset, pro Saturnino se interposuisset, cum tribunus sine auctoritate ei usui non fuisset. Atque hoc etiam animadvertendum est, Valerium Maximum[5]) et ipsum Appianum,[6]) qui eam rem uberius perscripserunt, ignorare Saturninum Mario adiuvante tribunum plebis factum esse atque Ciceronem de ea re omnino nihil dicere.

Quod Marium, Saturninum, Glauciam Metelli Numidici expellendi consilia inter se communicasse affirmatur, Appianus haec tradit:[7]) *ἐξηλάθη δὲ καὶ Μέτελλος ὑπ᾽ αὐτῶν* (sc. *Ἀπουληίου καὶ Γλαυκίου*), *προσλαβόντων Γάιον Μάριον ἕκτην ἄρχοντα ὑπατείαν, ἐχθρὸν ἀφανῆ τοῦ Μετέλλου. καὶ συνέπραξαν ὧδε ἅπαντες ἀλλήλοις. ὁ μὲν Ἀπουλήιος νόμον ἐσέφερε, διαδάσασθαι γῆν ὅσην*

1) Plut. Mar. c. 29.
2) Perioch. T. Liv. l. 69.
3) Oros. V, 17.
4) 9, 7. 3.
5) 9, 7. 3.
6) b. c. 1, 28.
7) b. c. 1, 29—30.

ἐν τῇ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων κολουμένῃ Γαλατίᾳ Κίμβροι γένος Κελτῶν κατειλήφεσαν, καὶ αὐτοὺς ὁ Μάριος ἔναγχος ἐξελάσας τὴν γῆν ὡς οὐκέτι Γαλατῶν ἐς Ῥωμαίους περιεσπάκει. προσέκειτο δέ, εἰ κυρώσειε τὸν νόμον ὁ δῆμος, τὴν βουλὴν πένθ' ἡμέραις ἐπομόσαι πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ, ἢ τὸν οὐκ ὀμόσαντα μήτε βουλεύειν καὶ ὀφλεῖν τῷ δήμῳ τάλαντα εἴκοσιν, ὑπονοοῦντες οὕτως ἄλλους τε τῶν δυσχεραινόντων ἀμυνεῖσθαι καὶ Μέτελλον ὑπὸ φρονήματος οὐκ ἐνδώσοντα πρὸς τὸν ὅρκον. — κυρωθέντος (sc. νόμου) δ' αὐτίκα Μάριος, οἷα ὕπατος, τῇ βουλῇ προυτίθει σκοπεῖν περὶ τοῦ ὅρκου· καὶ τὸν Μέτελλον εἰδὼς στερρόν τε τῇ γνώμῃ, καὶ βέβαιον ἐφ' ὅ τι φρονήσειεν ἢ εἰπεῖν φθάσειεν, ἐτίθει πρῶτος ἐς μέσον τὴν γνώμην τὴν ἑαυτοῦ μετ' ἐνέδρας, καὶ ἔλεγεν ὡς οὔποτε τὸν ὅρκον ἑκὼν τόνδε αὐτὸς ὀμόσει. συναποφηναμένου δὲ ταῦτα καὶ τοῦ Μετέλλου, καὶ τῶν ἄλλων αὐτοὺς ἐπαινεσάντων, ὁ Μάριος διέλυσε τὴν βουλήν· εἶτα τῆς πέμπτης ἡμέρας, ἣ τῷ ὅρκῳ τελευταία κατὰ τὸν νόμον ἦν, ἀμφὶ δεκάτην ὥραν αὐτοὺς κατὰ σπουδὴν συναγαγὼν ἔφη τὸν δῆμον ἐσπουδακότα περὶ τὸν νόμον δεδιέναι, μηχανὴν δ' ὁρᾶν καὶ σόφισμα τοιόνδε· ὀμόσειν γάρ, ᾗ νόμος ἐστί, τῷδε πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ, καὶ νῦν μὲν οὕτω διασκεδᾶν τοὺς ἀπὸ τῶν ἀγρῶν ἐνηδρευμένους, ὕστερον δ' οὐ δυσχερῶς ἐπιδείξειν ὅτι οὐκ ἔστι νόμος ὁ πρὸς βίαν τε καὶ βροντῆς ὠνομασμένης κεκυρωμένος παρὰ τὰ πάτρια. — καὶ ὤμνυ σὺν τοῖς φίλοις πρῶτος. Μέτελλος δ' οὐκ ὤμοσε μόνος, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ προαιρέσεως διέμεινεν ἀφόβως. — ὁ Γλαυκίας καὶ ὁ Ἀπουλήιος ἐς τοὺς ἀγροίκους ἐκδραμόντες οὐκ ἔφασκον αὐτοῖς ἔσεσθαι τὴν γῆν, οὐδὲ τὸν νόμον κύριον, εἰ μὴ Μέτελλος ἐξελαθείη. Ψήφισμά τε φυγῆς ἐπέγραφον αὐτῷ, — καὶ τὸ ψήφισμα ὁ Ἀπουλήιος ἐκύρου, καὶ τὰ ἐν τῷ ψηφίσματι Μάριος ἐπεκήρυττεν.

Quod de ea re Plutarchus dicit, ab Appiano non

discrepat.[1]) In Titi Livi periochis[2]) autem Marium fuisse auctorem seditionis, qua Metellus ex urbe expulsus esset, brevissime narratur. Itemque paucis verbis Orosius[3]) Marium cum Saturnino et Glaucia conspirasse, ut Metellum in exilium eicerent, commemorat.

Sed ei quoque rei fides adiungi non potest. Nam Marius nonne in summas angustias adductus esset, si ei, consuli, poenae illa lege constitutae a viris de republica bene meritis expetendae fuissent? Cui dubium esse potes quin omnes eum auctorem sortis eorum virorum existimaturi fuerint. Praeterea, si id spectavisset, ut Metellus profecto iusiurandum recusaret, stultissimum fuisset iuriiurando adicere haec: εἴπερ νόμος ἐστί. Nam quam facile fieri potuit, ut Metellus quoque hac latebra uteretur, cum lex per vim perlata propter verba: εἴπερ νόμος ἐστί ad incertum revocaretur Neque Valerius Maximus, qui tribus locis de Metello expulso narrat, Saturninum a Mario in ea re adiutum esse tradit, sed Saturninum solum auctorem exilii Metelli nominat.[4]) Itemque Cicero, qui multis locis de Metelli expulsione tractat et, ut supra memoravimus, ab illis rebus non longe afuit, culpam exilii Metelli modo in Saturninum transfert. Exempli causa in oratione pro P. Sestio habita dicit:[5]) 'erat autem res ei (sc. Metello) cum exercitu C. Marii invicto;' et quae ratio Metello cum Mario fuerit, his verbis eloquitur: 'habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, sextum iam illum consulatum gerentem' et porro sequitur: 'res erat cum L. Saturnino, iterum tribuno plebis.' Et paulo

1) Mar. 29.
2) l 69.
3) V, 17.
4) 3, 8. 4; 4, 1. 13; 5, 2. 7.
5) 16, 37.

infra Cicero dicit:[1] 'erat autem mihi contentio non cum victore exercitu — habebam inimicum non C. Marium — nec mihi erat res cum Saturnino.'[2] Neque si Marius Metelli expulsionis auctor fuisset, Cicero locutus esset:[3] 'nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino conlega senatum aut populum est cohortatus.'

Ex his, quae exposuimus, satis apparere puto, illos locos, quibus Mario cum Saturnino et Glaucia necessitudines fuisse scriptum est, nullam fidem habere, praesertim cum Cicero, quem ab iis, qui temporibus C. Marii fuerunt, exquisisse constat, nusquam tradat, Marium quidquam rationis cum Saturnino et Glaucia habuisse. Cui summo emolumento fuisset, si in oratione pro Rabirio perduellionis reo habita affirmare potuisset Marium ipsum Saturninum et Glauciam, quamquam antea iis magna necessitudine adiunctus fuisset, aversatum esse et propter furorem et improbitatem armis superavisse. Quam parvi autem Marii interfuerit amicitiam Saturnini et Glauciae appetere, ex his verbis Ciceronis effici potest:[4] 'utrum tandem C. Marius splendidior cum eum C. Glaucia laudabat, an cum eundem iratus postea vituperabat?' Marius enim, qui summa gloria florebat, aequis auribus accipere potuit, sive quod ille Glaucia eum bonum virum appellabat sive quod de eius auctoritate detrahebat.

Locus quidam Ciceronis opinioni meae repugnare videri potest. Nam in oratione pro L. Cornelio Balbo

1) 17, 38.

2) Cf. pro Cluent. 35, 95; de domo 31, 82; de leg. 3, 26; auct. orat. prid. quam in ex. 11, 27.

3) Post red. ad Quirit. 5, 11.

4) De harusp. resp. 24, 51.

habita Cicero narrat,[1] Saturninum lege C. Mario tulisse, ut in singulas colonias ternos civis Romanos facere posset. Sed ibi non dicitur Saturninum Mario etiam commisisse, ut colonias ipse deduceret, ut Mommsen[2] affirmat. Cui hoc negotium mandatum sit, in medio relinquendum est, cum omnino nihil de hac re commemoretur. Quibus causis Saturninus commotus sit, ut lege Mario illud ferret, mea quidem sententia facile est cognitu. Existimo enim Saturnini, cum proposita sua peragere vellet, permagni interfuisse gratiam Marii summa auctoritate vigentis sibi conciliare et vulgo fidem facere consilia sua a Mario probari?[3] Iam vero Marium tum maxime idoneum fuisse, qui eligeret eos, qui civitate Romana digni essent, arbitror, cum ea solum ii donari possent, qui de republica Romana bene meriti erant, quod non aliter nisi rebus bello gestis facere potuerunt. Quod lege iussum erat, Mario consuli exsequendum erat.

At conducebatne rationibus illorum scriptorum, ex quibus Livius, Plutarchus, Appianus hauserunt, confingere Marium necessitudine quadam Saturnino et Glauciae adiunctum fuisse? Credo illorum optimatium multum interfuisse quam ob rem miserrimus ab anno CIV. usque ad C. nobilium status in civitate fuisset, rationes obtendere. Itaque crimina Marii componebant, ex quibus appareret, Marium tot consulatus turpibus artibus adeptum esse. Nam Rutilius Rufus contendere ausus est Marium sextum consulatum pecunia

1) 21, 48.

2) Röm. Gesch. II⁷ p. 202.

3) Sic, ut Marii favorem sibi colligeret, legem tulerat, ut Marii veteranis centena agri iugera in Africa dividerentur (auct. de vir. ill. c. 73).

emisse.[1]) Sed Plutarcho ipsi, quod grave est, dubitatio aliqua inicitur, cum addat: (sc. Ῥουτίλιος) ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς. Si porro deliberamus Marium post victorias a Cimbris et Teutonibus reportatas Romae praeclarissimum et gratissimum virum fuisse, ut ab optimatibus ipsis conservator tertiusque Romae conditor praedicaretur, et inter Marii reditum in urbem et comitia consularia intervallum vix trium mensum fuisse posse[2]) et Marium eo, quod brevi antequam consul crearetur, L. Equitium, qui se Tib. Gracchi filium simulabat, in publicam custodiam duxerat,[3]) manifestum fecisse, quam parum auram popularem captaret, existimo omnes concessuros esse illam narrationem Rutilii Rufi, quam unus secundum Plutarchi verba tradidit, omnino reprobandam esse.

Eadem de causa illos ementitos esse Marium cum Saturnino, illo turbulento et seditioso homine, ad consulatum adipiscendum consilia communicasse mihi persuasum est.

Quod illi auctores Marium cum Saturnino et Glaucia conspirasse ad Metellum expellendum et propter id ipsum Saturninum illam legem rogasse et se in iureiurando a Mario dolo captos esse confinxerunt, puto, cum moleste ferrent, quod Metelli expulsionis culpa inconstantiae et ignaviae suae verteretur[4]) et Metelli con-

---

1) Liv. per. l. 69. Plut. Mar. c. 28.

2) Pugna apud Vercellas a. d. III. Kal. Sext. commissa est Plut. Mar. c. 26).

3) Val. Max. 9, 7, 1.

4) Nam manifestum esse mihi videtur, si reliqui omnes senatores praeter Marium, Saturninum, Glauciam (quorum quisque in senatu erat; cf. App. l. c. 1, 28) iusiurandum recusavissent, poenas a Saturnino lege constitutas ab iis repeti non potuisse.

stantia summis laudibus efferretur,[1]) illos quasi excusationem quandam allegasse, qua de causa Marium sequentes in legem Saturnini iuravissent.

Atque ut percontantibus, num Marius Saturnino mutuum officium praestitisset, responderent, ementiti sunt Saturninum tribunatum petentem a Mario adiutum esse.

Iam vero deliberandum est illos auctores confingentes Marium Saturnino et Glauciae necessitudinibus adiunctum esse etiam Marii naturam et mores in suspicionem adducere posse. Nam quam mobili ac perfido animo videbatur esse is, qui consiliorum in republica socios, a quibus eum consilio et re adiutum esse illi narrabant, in ipso discrimine temporis destituebat atque etiam armis superabat?[2]) Quae iam religio in eo esse potuit, qui se coniungebat cum iis, qui ut proposita sua assequerentur, caedem facere ne veriti quidem erant, et quorum alter, Glaucia, stercus curiae ab aliquo oratore dictus erat[3]) et a Cicerone longe post homines natos improbissimus et simillimus Atheniensis Hyperboli habetur?[4])

Ac nonne res quaedam erant, quae fidem necessitudinum inter Marium ac Saturninum, Glauciam intercedentium facere poterant? Accepimus Saturninum, ut Marii favorem sibi conciliaret, legem rogasse, ut Marii veteranis militibus in Africa centena agri iugera assigna-

---

1) Cf. Cicero ad fam. 1, 9, 16: est vero probandum, qui (Metellus) et summa voluntate cesserit — eum ob id ipsum fractum fuisse, in quo quum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem virum, constantia et gravitate superasset.

2) Cf. Liv. per. l. 69: concitato senatu, in cuius causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundam fortunam transierat. Oros. V, 17: Marius consul adcommodato ad tempus ingenio consensui bonorum inmiscuit.

3) Cicero de orat. 3, 41, 164.

4) Cicero Brut. 224.

rentur et Mario lege tulisse, ut in singulas colonias ternos civis Romanos facere posset. Atque etiam commemorandum est Metellum Saturnino non minus quam Mario odiosum fuisse,[1] ut consilia inter se communicasse videri possent, si alter Metello insidias comparabat.

In rebus anno C. gestis disserendis Mommsen,[2] Long,[3] Lange,[4] Neumann,[5] Ihne[6] pro certo ducunt leges Appuleias inter Marium et Saturninum convenisse et Marium id spectavisse, ut in republica gerenda quoque principem locum obtineret. Atque Mommsen etiam persuasum habet Marium auctoritate et opibus suis uti voluisse, ut cum Saturnino et Glaucia afflictam rempublicam recrearet et reficeret,[7] et exempli causa haec verba facit:

„Wie hätte nicht das Volk, wie hätte nicht er selbst sich für den Regenerator des Staats halten sollen!" Sed Marium tanta molitum esse et se id efficere posse credidisse ne illi auctores optimatium studiosissimi quidem narrant. Num leges Appuleiae satis valuerint ad ordinem reipublicae novandum aut hoc consilio rogatae sint, si de his legibus accuratius exponemus, tractabimus. Nunc autem quaestionem solvamus, num leges Appuleiae inter Marium et Saturninum convenerint et ab illo adiutae sint. Ut res ita se habuerit, tamen nulla ex parte mihi perspicuum est, quam ob rem Marius initio illud iusiurandum recusaverit et postea illam conditionem adiciens:

1) Metellus Saturninum de senatu movere conatus erat. App. b. c. 1, 28. Cicero pro Sest. 47, 101.
2) Röm. Gesch. II⁷ p. 197—201.
3) Decline of the Rom. rep. II p. 111.
4) Röm. Altt. III p. 76.
5) Gesch. Roms I, 416, 418, 419.
6) Röm. Gesch. V, 219, 225.
7) P. 187.

εἴπερ νόμος ἐστί in legem Saturnini iuraverit, et sententiae mutatae causam senatoribus probans dixerit hac conditione legem Saturnini occasione oblata tolli posse.[1] Illi quidem rerum scriptores nostrae memoriae hoc factum Marii sic interpretantur eum legibus a Saturnino per vim perlatis ita perterritum esse, ut consiliorum in republica socios desereret, quare Mommsen eum politisch-moralischen Confusionar nominat.[2] At num credibile est Mario, quamquam dubitare non potuit, quin optimates legibus Saturnini vehementissime repugnaturi essent, Saturninus autem, ut leges perferret, vim adhibere veriturus non esset,[3] postea angorem incessurum atque etiam eum senatoribus consilia daturum fuisse, quomodo leges tolli possent, si leges cum Saturnino communicasset? Traditum est Marium, tribunum plebis, cum legem de suffragiis ferendis promulgasset, neque officio Metellis debito neque minis L. Aurelii Cottae, consulis, commotum esse, ut rogatione sua desisteret.[4] Num cogitari potest ex strenuo et acri tribuno plebis consulem factum esse, qui, tametsi honoribus et rerum gestarum gloria florebat et summa Romae auctoritate valebat et magno odio in nobilitatem incensus erat et cum multis optimatibus privatas inimicitias habebat[5] et tametsi illo tempore non rarum erat, ut leges et a nobilibus et ab ho-

1) Marium hoc non fecisse, ut Metellum dolose expellere posset, supra satis me exposuisse puto.
2) Röm. Gesch. II⁷ p. 205.
3) Saturninus enim, ut violentus erat, iam aliquando intercedentem tribunum plebis lapidatione facta submoverat (auct. libri de vir. ill. c. 73) et Nonnium, competitorem tribunatus, necaverat.
4) Plut. Mar. 4.
5) Cicero de prov. cons. 8,19.

minibus popularibus per vim perferrentur aut antiquarentur,[1]) adductus vi a Saturnino allata aut delenimentis et minis optimatium propositum suum deponeret et cum nobilibus faceret? Atque num fides haberi potest iis, qui dicunt Marium in viros sibi brevi ante artissima necessitudine adiunctos arma cepisse, qui, ne proditionis sociorum argueretur, exemplum P. Mucii Scaevolae, consulis a. CXXXIII., sequi et negare potuisset, se quicquam vi esse acturum?[2]) Quid? quod Mommsen ipse concedit Marium leges Appuleias in contione non adiuvisse, cum dicat:[3]) „Während die entscheidenden Anträge von seinen Genossen gestellt, von seinen Soldaten durchgefochten wurden, verhielt Marius sich vollständig leidend, gleich als ob der politische Führer nicht ebenso wie der militärische, wenn es zum Hauptangriff geht, überall und vor allen einstehen müsste mit seiner Person.“

Quibus testimoniis confisi tandem rerum scriptores illi leges Appuleias inter Marium et Saturninum convenisse affirmant? Illo testimonio Appiani et Plutarchi, qui narrant Saturninum, Glauciam, Marium se coniunxisse, ut Metellum Numidicum in exsilium eicerent, id quod omnino reprobandum esse a nobis supra demon-

1) Ut plura non dicam, commemoro C. Norbanum, tribunum plebis (a. CIV.?) L. Cottam et T. Didium, collegas, cum intercedere vellent eius rogationi, vi demovisse (Cicero de orat. II, 47, 197), id quod Saturninus quoque contra Baebium, tribunum plebis, fecerat (auct. libr. de vir. ill. c. 73), atque etiam Q. Caepionem, quaestorem urbanum, cum Saturninus legem frumentariam ferre inciperet, impetu facto impedivisse, quo setius ferretur. (Cornif. ad Her. 1, 12. 21.)

2) Val. Max. 3, 2.17: Cum Ti. Gracchus — rempublicam oppressam teneret — cunctis consentibus (sc. patribus) ut consul armis rempublicam tueretur, Scaevola negavit se quicquam vi esse acturum; cf. Cicero Tusc. disp. 4, 23. 51.

3) Röm. Gesch. 2^7 p. 205.

stratum est. Ne igitur credibilia testimonia veterum auctorum quidem afferri possunt, ex quibus efficiatur leges Appuleias inter Marium et Saturninum communicatas esse.

Neque difficile est Ihnei sententiam refellere, qui Marium in sexto consulatu, cum militibus veteranis suis agros assignandos esse curare deberet, coactum esse cum Saturnino se coniungere contendit.[1]) Marius enim militibus suis non eodem modo obnoxius erat, quo Sulla aut Caesar suis, qui privatis imperatorum commodis serviebant. Veterani Scipionis maioris quidem, quorum merita de republica tantidem aestimata esse, quanti veteranorum Marii puto, in singulos annos, quos stipendia fecerant, duo iugera acceperant,[2]) duodeviginti omnino, cum novem annos illo duce militavissent. Totidem iugera in singulos annos, quos meruerant, omnino quatuordecim, Marius, ut veteranis suis attribuerentur, effecit, atque id postquam Saturninus necatus est et Marii veterani, cum Saturnini causam secuti essent,[3]) in civium invidiam magnam venerunt. Neque Marius veteranis plus iugerum poscentibus respondit a maiore attributione agrorum populum aut senatum abhorruisse sed haec verba: *Μηδεὶς γένοιτο Ῥωμαίων ὀλίγην* (sc. *γῆν*) *ἡγούμενος τὴν τρέφειν ἀρκοῦσαν.*[4]) Atque etiam hoc commemorandum est Marium militibus suis in bello saepe magnam praedae partem dedisse.[5])

Quibus de causis Marius Saturnini rem non adiuverit, et consiliorum, quae ad rempublicam denuo constituendam pertinebant, particeps non fuerit, nullo negotio cognosci potest. Nam, si Mario tanta efficere in mentem

1) Röm. Gesch. V p. 227 sq.

2) Livius 31, 4; 49, 4.

3) Cicero pro Sest. 16, 37; 17, 38; App. b. c. 1,29.

4) Plut. Crass. c. 2.

5) Sall. bell. Iug. c. 92; Cass. Dio fr. 94.

venisset, futurum fuisse arbitror, ut iam acerba sorte Gracchorum, quorum opera et studium ordinem reipublicae novandi potentiae cupiditate optimatium, avaritia feneratorum, inconstantia vulgi ad irritum redacta erant, deterreretur. Mariusne enim in minora impedimenta quam Gracchi incucurrisset, ut se feliciorem exitum habiturum esse illis sperare posset? Credo providendum fuisse nobiles legibus Appuleis non minus vehementer repugnaturos esse quam Gracchanis et equites, cum nulla commoda ex illis legibus caperent, sed, ut infra demonstrabitur, detrimentum acciperent, ab optimatibus staturos esse et timendum fuisse ne, plebs, quae, quamquam ex legibus C. Gracchi summum fructum perceperat, tamen eum destituerat, etiam tunc inconstans esset.

Atque Mariusne meliora instrumenta quam Gracchi habuit? Mea quidem sententia Gracchi eandem gratiam popularem quam Marius consecuti erant, sed in Mario non facultas dicendi erat, qua illi animos eorum, qui audiebant, commoverant et occupaverant. Forsitan quispiam dixerit Marium ad id ipsum L. Saturnino, tribuno plebis post Gracchos eloquentissimo,[1]) uti potuisse. Credo, si id fecisset, Marium causam integram sibi reservare non potuisse et arbitrium totius rei magis penes Saturninum quam Marium futurum fuisse, id quod Marium deterriturum fuisse persuasum habeo, ne causam cum Saturnino communicaret. At Marius cum exercitu victore propositum reipublicae denuo constituendae peragere potuit. Sed cum brevi postquam Romam rediit, dimissus esset, milites, quamquam maximam partem Romae erant, tamen suo iussu regere non iam potuit. Etiamsi Marius consilium inisset exercitus auxilio, priusquam dimissus esset, ordinem reipublicae renovare, ei id non contigisset,

1) Cicero Brutus 224.

cum exercitus eius cum Sullae comparari non possit. Nam in bello sociali demum, in quo pristini commilitones inter se dimicabant, pudor caedem civium faciendi exstinctus est, cum annis CXXXIII., CXXI., C. multo maior pars civium vim vi repellere vereretur. Praeterea Marius victorem exercitum praeda onustum domum reducebat, ubi liberaliter compellabatur, Sulla autem exercitum Asiae opum avidum ad bellum abducebat, qui, ne a Mario ea occasione privaretur, timebat. Tamen Sullam ad urbem cum exercitu redeuntem tribuni militum et primorum ordinum centuriones uno quaestore excepto deseruerunt,[1]) cum a se impetrare non possent, ut contra patriam arma caperent.[2]) Mario igitur, si Gracchorum periculosa consilia persecutus esset, parum spei fuisset rem prospere cessuram esse. Quaerentibus autem, quae causae Saturninum et Glauciam ad illud dubium inceptum adduxerint, responderi potest Saturninum, quod ab eo, quaestore Ostiensi, per ignominiam res frumentaria ad M. Scaurum, principem senatus, translata erat, ulciscendi cupiditate incensum esse atque eum Glauciamque speravisse futurum esse, ut a Mario eiusque militibus satis adiuvarentur atque putasse, si res feliciter eveniret, se summos honores et maximam auctoritatem adepturos esse.

1) App. b. c. 1, 57.

2) Kiewietum de Ionge, qui (p. 41) dicit: 'quid est, quod impediverit, quominus militum suorum auxilio uteretur (sc. Marius)? — Sulla decennio post, vi militari civitatem miscuit nec quid eo temporis spatio militum animos mutarit videmus. Requieverant enim inde ab anno 100 usque ad 90 omnes militares res, nec nisi privatis et publicis discordiis fuerat locus', fugisse videtur bellum civile inter Sullam et Marium duodecim annis post annum C. ortum et antea bellum sociale, quod militum animos magnopere efferaverat, gestum esse.

Iam vero multae res traditae sunt, quibus apparet Marium ex primi consulatus petitione usque ad mortem a partibus equitum stetisse. Nam primum consulatum maxime publicanis et negotiatoribus et iis, qui cum his faciebant, debuit. Qui cum expugnata Cirta, in qua urbe magna multitudo negotiatorum interfecta erat, et bello in Africa, illa uberrima provincia, contra Iugurtham male gesto in summum discrimen vocati res familiaris conrupissent,[1]) studiose operam dederunt, ut Marius, praesertim cum ipse iis pollicitus esset se, si dimidia pars exercitus Metelli sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum esse, consul crearetur.[2]) Atque supra disseruimus ordinis equestris permagni interfuisse Mario summam imperii bellique contra Cimbros administrandi permitti atque etiam prorogari. Quid? Cum Marius efficeret, ut veteranis suis agri attribuerentur, quamquam propter superatum Saturninum a popularium factione derelictus et nobilitas ab eo aliena erat et veterani ipsi, quod cum Saturnino fecerant, summam invidiam subierant, cumque non multo post annum centesimum lege Domitia fieret augur,[3]) qua constitutum erat, ut sacerdotes per septendecim tribus sorte destinatas crearentur,[4]) nonne pro certo ducendum est Marium eas res equitum auxilio consecutum esse? Accedit, quod Marius equitum conspirationis, qua P. Rutilium Rufum in exsilium eiecerunt, particeps fuit.[5]) Atque hoc etiam animadvertendum est equites in bello inter Marium et Sullam gesto a Mario stetisse, quare magna multitudo eorum a Sulla post victoriam necata est.

1) Sall. Iug. c. 64.
2) Sall. Iug. c. 65; Vell. Paterc. 2, 11.
3) Cicero ad. Brut. 1, 5. 3.
4) Cicero de leg. agr. 2, 7, 17. 18; Laelius 25, 96. Vell. Paterc. 2, 12.
5) Cass. Dio fr. 97.

Itaque cum et ante et post annum centesimum summa consuetudine cum equitibus coniunctus esset, et anno centesimo in leges Appuleias initio iurare nollet et postea leges illis verbis omnino in dubium vocaret et Saturninum eiusque socios armis superaret, et ipse equestri loco ortus esset,[1]) Marium anno centesimo quoque equitum causam defendisse mihi persuasum est.

Quae cum ita sint, illae criminationes contra Marium allatae, quod in omni actione atque administratione reipublicae praeter ceteros florere voluisset, quamquam in eo neque facultas neque usus tractandae reipublicae fuisset et quod consiliorum in republica pristinos socios suos armis opprimere veritus non esset, meo quidem iudicio omnino reprobandae sunt.

De legibus Appuleis.

Ut intellegere possimus, num leges Appuleiae, etiamsi quam diligentissime exercitae essent, mala reipublicae ingravescentia sanaturae fuerint, de iis iudicium censuramque facere necesse est. Saturninus quidem, bis tribunus plebis,[2]) quinque leges, quantum accepimus, rogavit, duas leges agrarias, legem de coloniis deducendis, legem frumentariam, legem de maiestate. Prima lex agraria iussit, ut veteranis Marii centena agri iugera in Africa dividerentur, qua lege auctor sibi gratiam Marianorum militum parare voluit.[3]) Quam legem quia auctor libri de viris illustribus initio vitae Saturnini breviter expositae commemorat, Mommsen,[4])

1) Vell. Paterc. 2, 11; cf. Kiewiet de Ionge p. 17 sq. thor Straten p. 1.
2) A. CIII. (Plut. Mar 14) et a. C.
3) Auct. libr. de vir. ill. c. 73.
4) Röm. Gesch. II[7] p. 201.

Neumann,[1]) Lange,[2]) Ihne[3]) in primo tribunatu Saturnini latam esse putant. Sed ea ipsa verba, quae illo loco legimus: ‚ut gratiam Marianorum pararet', ab illa sententia dissentire mihi videntur. Nam a. CIII. veterani Marii in Gallia stipendia meruerunt neque provideri potuit, quando Romam redituri essent. Itaque neque a. CIII. neque, quantum tum perspici poterat, proximis annis Saturnino ulli usui esse quierunt. Praeterea illa verba auctoris libri de viris illustribus statim haec sequuntur: ‚Glauciae praetori, quod is eo die, quo ipse concionem habebat, ius dicendo partem populi avocasset sellam concidit (sc. Saturninus).' Glauciam autem a. C. praetorem fuisse omnes rerum scriptores inter se consentientes tradunt. Tum haec verba leguntur: ‚ut magis popularis videretur, quendam libertini ordinis subornavit (sc. Saturninus), qui se Tiberii Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia producta, nec precibus nec minis adduci potuit, ut dedecus familiae agnosceret' id quod a. CI. factum est.[4]) Itaque cum perspicuum sit res temporum ordine servato narratas non esse, ex eo, quod illam legem agrariam initio Saturnini vitae compositae esse commemoratam videmus, concludi non potest eam in primo tribunatu a Saturnino rogatam esse. Tamen, quod de ea lege alius auctor non disseruit, eam a. C. latam esse, pro certo affirmari non potest.

Venio ad alteram legem agrariam[5]) a. C. a Saturnino rogatam, de qua Appianus haec exponit:[6]) *ὁ μὲν Ἀπουλήιος νόμον ἐσέφερε, διαδάσασθαι γῆν ὅσην ἐν τῇ*

1) Gesch. Roms I p. 419.
2) Röm. Alt. III p. 75.
3) Röm. Gesch. V p. 228.
4) Val. Max. 9, 7. 1.
5) Liv. per. l. 69.
6) App. b. c. 1, 29.

νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένῃ Γαλατίᾳ Κίμβροι γένος Κελτῶν κατειλήφεσαν, καὶ αὐτοὺς ὁ Μάριος ἔναγχος ἐξελάσας τὴν γῆν ὡς οὐκέτι Γαλατῶν ἐς Ῥωμαίους περιεσπάκει.' Statim autem apparet Marium omnes fines a Cimbris in Gallia[1]) occupatos in Romanorum potestatem redigere neque potuisse neque conatum esse. Nam Marius, qui non longius quam usque ad confluentem Rhodani et Isarae progressus est, non missus erat, ut iis Galliae civitatibus, quarum fines Cimbri occupatos tenebant, bellum inferret, sed ut gentes illas vagantes, quae iam decimum annum rempublicam in summum periculum vocabant, devinceret. Itaque illas civitates Gallorum non infestas sed potius socias Mario fuisse existimo. Nunc id quaeritur, num ea lex a Saturnino ita rogata sit, ut Appianus memoriae prodiderit. Qua re diligenter perpensa in opinionem adductus sum Saturninum illa verba rogationi suae inserere non potuisse. Nam cum maxima militum Marianorum pars Romae esset, fieri non potuit, quin Saturninus comperiret, quos fines Marius occupasset et quos imperio Romano adiunxisset. Accedit, quod, cum Marius, ut semper fiebat, ad senatum de rebus in Gallia gestis retulisset, Saturninus ipse audivit,[2]) qui fines imperio tum contributi essent. Atque Saturninum, si legem ita, ut Appianus tradit, promulgasset, statim multi docuissent maximam partem finium, quos dividi vellet, in Gallorum potestate esse. Neque Saturninus postulare potuit, ut veterani agros accipiendi causa labores et pericula novi belli subirent. Praeterea neque antea neque postea rogatio lata est, ut is ager divideretur, qui nec Romanorum erat nec

1) Gallia, quae Appiani temporibus nominabatur, est Gallia Transalpina.
2) Saturninus erat in senatu. App. b. c. 1, 28.

a copiis Romanis captus erat. Etsi Aquileia colonia in agrum deducta est, qui non Romanorum sed Venetorum erat, tamen exercitus Romanus, postquam illum locum, in quem Galli transalpini irruerant, ab iis liberavit, eum occupaverat.[1]) Quibus de causis Appianum erravisse mihi exploratum est et arbitror errorem in eius inscientia terrarum ponendum esse. Nam Appianus mea quidem sententia, cum non satis sciret, usque ad quas regiones Galliae Cimbri bellum transtulissent et quam longe Marius processisset, sed putaret Marium in omnes fines a Cimbris occupatos invasisse, apud auctorem suum legens Saturninum legem tulisse, ut agri a Mario Cimbris in Gallia erepti dividerentur, existimavit non modo agros provinciae Galliae Narbonensis (qua Marius non decesserat) sed etiam reliquos agros a Cimbris in Gallia captos, cum devicti essent, in potestatem Romanorum venisse.

Quos autem agros Marius ad imperium Romanum adiunxit? Credo agrorum Tectosagum magnam partem et aliarum nationum, quae Galliam Narbonensem, provinciam, incolentes post Cimbrorum victorias a Romanis defecerant[2]) et a Mario denuo subactae erant, praeterea autem eos agros, quorum possessores, cum provincia ab illis gentibus vagantibus popularetur et vexaretur, interierant. Quos omnes fines Marium in formam agri publici redegisse et Saturninum civibus Romanis et Italicis assignari voluisse verisimillimum est. Atque ex hoc apparet, quare coloniae eo deductae non sint. Nam Gallia Narbonensis, provincia, iam firmata erat Narbone Martio colonia et Aquis Sextiis stativis. Sed, si lege

1) Livius 39, 22, 45, 54, 55; 40, 34; 43, 1.

2) Sulla, legatus Marii, cum Tectosagibus pugnavit (Plut. Sull. c. 4).

constitutum esset, ut agri extra eam provinciam siti dividerentur, necesse fuit ad eos tutandum colonias deducere.

Equites autem, cum detrimento capto sperassent illos agros se parvo empturos et magnos quaestus facturos esse, gravissime tulisse, quod Saturninus rogabat, ut illi agri dividerentur, mihi persuasum est. Quo factum est, ut equites a. C. subito ab optimatibus starent et una cum iis Saturninum eiusque socios opprimerent, quamquam paulo ante cum popularibus nobilitati obstiterant.

Additum autem legi erat: *εἰ κυρώσειε τὸν νόμον ὁ δῆμος, τὴν βουλὴν πένθ' ἡμέραις ἐπομόσαι πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ, ἢ τὸν οὐκ ὀμόσαντα μήτε βουλεύειν καὶ ὀφλεῖν τῷ δήμῳ τάλαντα εἴκοσιν.*[1]) Quae senatoribus molestissima conditio erat, cum usque ad id tempus soli rempublicam administravissent. Sed tribunis plebis, quod senatus reipublicae morbis remedia neque adhibuerat et eos, qui id facere conati erant, vehementissime persecutus erat aut necaverat, praecavendum erat, ut senatus leges perlatas tollere desineret.

Lex de coloniis deducendis porro, quae secundum auctorem libri de viris illustribus[2]) etiam a. C. rogata est, iussit colonias in Siciliam, Achaiam, Macedoniam mitti et aurum, dolo an scelere Q. Servilii Caepionis partum, ad emtionen agrorum converti. Cumque hoc anno M'. Aquilius, proconsul, tumultum servorum in Sicilia compressisset, agros ibi parvo a viris agris dividundis emi potuisse puto. Itaque equitibus timendum erat, ne etiam hac lege a Saturnino magno lucro privarentur. Atque Cicero commemorat hac lege Saturninum

1) App. b. c. 1,29.

2) c. 73.

C. Mario tulisse, ut in singulas colonias ternos civis Romanos facere posset.[1]) Cum autem auctor libri de viris illustribus de hac lege disserens haec verba faciat:[2]) Aqua et igni interdixit (sc. Saturninus) ei qui in leges suas non iurasset' et de hac et altera lege[3]) (agraria) narretur, cum in comitiis ferrentur, nobiles clamavisse: tonuisse, ut populum suffragii latione impedirent et auctor libri de viris illustribus illo loco non ‚legem' sed ‚leges' dicat, pro certo affirmari posse mihi videtur ambas leges una rogatione coniunctas fuisse, praesertim cum duobus annis post Q. Caecilius Metellus, T. Didius consules legem perferrent, quae vetuit leges per saturam rogari.[4])

Restat, ut legem de maiestate et legem frumentariam, quae quo anno a Saturnino latae sint, difficile cognitu est, uberius tractem. Loci quidem, quibus Cicero de illa lege Appuleia disserit, sunt hi:, maiestas autem, quoniam est magnitudo quaedam populi Romani in eius potestate ac iure retinendo, aucta potius est quam deminuta (a Norbano); — maiestas est in imperii atque in nominis populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit, exsistit illa disceptatio: minueritne maiestatem, qui voluntate populi Romani rem gratam et aequam per vim egerit'.[5]) et: ‚ut mihi ipsi (Antonio) cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio; pleraque enim de eis, quae ab isto obiciebantur, cum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam, ex quo verbo lege Appuleia tota illa causa pendebat';[6]) et: ‚sic in illa omni

1) pro Balb. 21, 48
2) c. 73.
3) App. b. c. 1, 30.
4) Cicero de domo sua 20, 53.
5) de part. orat. 30, 105.
6) de orat 2, 25, 107.

defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Appuleia dicerem, ut quid esset minuere maiestatem explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi'.[1]) Atque auctor ad Herennium hoc dicit:,[2]) maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo constat: quae sunt ea, Q. Caepio? suffragia, magistratus. nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum consilio privasti, cum pontis disturbasti item ex contrario: maiestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento adficit: ego non adfeci, sed prohibui detrimento: aerarium enim conservavi, libidini malorum restiti, maiestatem omnem interire non passus sum.

Ex his, quae attuli, satis perspicuum esse puto, in lege Appuleia de maiestate omnia ea facta, quibus maiestas populi Romani laederetur, enumerata non fuisse, sed id scriptum, ut is in crimen maiestatis vocaretur qui eam minuisset. Nam si in hac lege constitutum esset, ut is maiestatem minuisset, qui intercedentes tribunos per vim loco movvisset, M. Antonius in oratione pro C. Norbano habita affirmare non potuit Norbanum maiestatem populi Romani non minuisse, etiamsi is, auctor seditionis fuisset.[3]) Quae sententia his verbis Quintiliani[4]) confirmatur: Rei publicae laesa. Hinc moventur quidem illae iuris cavillationes: Quid sit rempublicam laedere.

Scriptum erat etiam in hac lege, ut crimen laesae maiestatis in quaestione ageretur et in fraude capitali ponendum esset.[5])

1) de orat. 2, 49, 201.
2) 2, 12, 17.
3) Cicero de or. 2, 25, 107.
4) instit. orat. 7, 4, 37.
5) Cicero de or. 2, 48. 199; Valer. Max. 8, 5, 2.

Mommsen[1]) et Neumann[2]) afferentes hunc locum Grani Liciniani:[3]) Cn. Manlius ob eandem causam quam et Caepio L. Saturnini rogatione e civitate est cito (?) eiectus' contendunt Saturninum una cum C. Norbano legem de maiestate rogasse, ut Q. Servilium Caepionem, cuius temeritate clades apud Arausionem accepta erat, perdere possent. At huic sententiae gravissimae causae obstant. Nam Cicero, qui multis locis pluribus verbis de rogatione Norbani contra Caepionem disserit, nunquam commemorat Norbanum una cum Saturnino eam tulisse, Saturninum autem solum auctorem legis de maiestate, de qua etiam accuratius exponit, significat, cum modo de lege Appuleia non de lege Appuleia Norbana loquatur. Praeterea locus, quem Mommsen affert,[4]) ut demonstret legem de maiestate a compluribus tribunis rogatam esse, meo quidem iudicio ad primam accusationem in Caepionem brevi post cladem apud Arausionem instructam pertinet. Nam cum lex de maiestate rogaretur, etiamsi Saturninus ea Caepionem petere voluisset, tamen de Caepione ipso in contione agi non potuit, sed demum postquam accusatio in Caepionem comparata esset in quaestione, ubi autem causa ad equites, iudices, non ad tribunos agenda fuit.

Iam vero nusquam traditum est Caepionem in quaestione damnatum esse, quod fieri debuit, si lege de maiestate reus factus esset. Atque Antonium, qui causam C. Norbani a P. Sulpicio Rufo laesae maiestatis accusati defendebat et de quo Sulpicius dicit:[5]) qui locus

1) R. Gesch. 2^7, 180.
2) Gesch. R. 1, 411.
3) ed phil. Bonn. h. p. 21.
4) auct. ad Her. 1, 14, 24: ut Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione.
5) Cicero de or. 2, 50, 203.

a te praetermissus est in Caepionem? ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti!' facere non potuisse, quin apud iudices commemoraret seditionem C. Norbani etiam ideo iustam fuisse, quod Caepio postea in quaestione a iudicibus damnatus esset, si lege de maiestate accusatus esset, mihi persuasum est. At ex iis locis, quibus de causa Caepionis traditur, concludi posse puto Caepionem in contione damnatum esse. Nam quanta culpa cladis apud Arausionem acceptae Caepioni attribuenda esset, iam brevi post eam inquaesitum et constitutum erat. Itaque Norbanus talem rogationem in Caepionem ferre potuit, ut is ea a populo accepta etiam damnatus esset, sicut L. Cassius Longinus, tribunus plebis, in Caepionem tulerat: ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset in senatu ne esset, aut sicut Tib. Sempronius Gracchus in Octavium collegam rogationem tulerat: *εἰ χρὴ δήμαρχον ἀντιπράττοντα τῷ δήμῳ τὴν ἀρχὴν ἐπέχειν*.[1]) Qua rogatione accepta Octavium, cum ei tribunatus ea abrogatus esset, statim clam ex contione fugisse, etiam Appianus narrat. Atque Norbanum similiter rogasse mihi ex eo effici posse mihi videtur, quod Cicero dicit Norbanum, cum rogationem tulisset, egisse de Caepione turbulentius.[3]) Nam de Caepione nihil agi potuit, si is demum, postquam rogatio Norbani perlata esset, in iudicium adduci potuisset. Porro autem Caepioni tempus fuisset fugiendi, si spatium inter rogationem Norbani et accusationem fuisset. Nam ei dubium esse non potuit, quin equites, in quorum odium propter iudicia venerat, ipsum damnaturi essent. Cum autem in carcerem coniceretur,[4]) arbitror, eum in contione, in

1) App. b. c. 1, 12.
2) b. c. 1, 12.
3) de part. orat. 30, 105; cf. de or. 2, 28, 124; 2, 47, 197—199.
4) Val. Max. 4, 7, 3.

quam confisus L. Cotta et T. Didio tribunis, qui promiserant se intercessuros esse Norbani rogationi iverat, eo, quod ea perlata erat, damnatum esse.

Quae cum ita sint, affirmari posse existimo Caepionem lege de maieste arcessitum non esse. Ac si locum Grani Liciniani accuratius inspicimus, apparere mihi videtur Licinianum narrare Cn. Manlium ob eandem causam quam et Caepionem e civitate eiectum esse sed non eadem rogatione qua Caepionem sed L. Saturnini, praesertim cum locus constrictus sit atque etiam de Caepione iam antea dictum videatur esse. Nullum autem causam indagaveris, ex qua colligatur Cn. Manlium lege Appuleia de maiestate damnatum esse.

Itaque mihi persuasum est rogationem in Caepionem non a Norbano una cum Saturnino sed modo a Norbano latam esse et Saturninum non consilio Caepionis perdendi sed alia causa commotum esse, ut legem de maiestate rogaret.

Accepimus autem lege Appuleia de maiestate Q. Servilium Caepionem[1] (minorem) et C. Norbanum arcessitos esse, quod in contione seditionem concitaverant. Quod Caepio aut a. CIII. aut a. C. fecit, quod impediebat, quominus de lege frumentaria Saturnini suffragia ferrentur. Hanc calamitatem Saturninus propterea molestissime tulit, quod lege frumentaria auram popularem sibi conciliare voluit, si legem a. C.III. rogavit aut amissam auram popularem recuperare voluit, si a. C. legem rogavit. Nam cum, ut supra diximus, a populo a. CI. tribunatum petens novies repulsam tulisset, credo ei persuasum fuisse populum ab ipso alienissimum esse. Itaque fieri non potuit, quin Saturninus etiam eodem anno, quo legem frumentariam rogaverat, Caepionem arcesseret, praesertim cum illud esset inauditum quoddam,

1) auct. ad. Herenn. 1, 12, 21.

quod quaestor, magistratus inferioris iuris, cives per vim ex contione expellebat, ut legem perferri prohiberet ac Saturnino praecavendum esset, ne idem in alias rogationes suas eveniret. Traditum est autem Caepionem lege Appuleia de maiestate reum factum esse.[1] Nunc existit quaestio ea ante an post Caepionis iniuriam rogata sit.[2] Credo postea, cum nullum factum optimatium proditum sit, quo Saturninus iam antea commotus esse potest, ut legem de maiestate rogaret et de nullo narretur, qui ante Caepionem hac lege arcessitus est. Iam agitur haec duae leges a. CIII. an a. C. latae sint. Ut mea fert opinio populus Saturninum, si legem frumentariam, quae ad gratiam popularem assequendam maxime idonea erat,[3] iam a. CIII. rogasset, a. CI. statim tribunum creasset. Qua de causa existimo legem frumentariam et legem de maiestate a Saturnino a. C. latas esse.[4])

Causae, quas Ihne affert,[5] ut demonstret legem de maiestate a CIII. rogatam esse, facile refelli possunt. Qui haec dicit: „Stilo,[6] ein Vertrauter des Q. Caecilius

1) Auct. ad. Her. 1, 12, 21.

2) Nam non raro factum est, ut leges in praeteritum ferrentur; ut non plura dicam, commemoro legem Semproniam de capite civis Romani, qua P. Popillius Laenas, qui iudex quaestionis extraordinariae socios Tib. Gracchi in exsilium eiecerat, Roma decedere coactus est, et legem Cassiam in Q. Servilium Caepionem (maiorem) et legem Variam in eos, quorum ope consiliove socii contra rempublicam arma sumpserant et legem Clodiam in Ciceronem.

3) Auct. ad. Her. 1, 12, 21.

4) Senatus in (senatus) consulto ultimo contra Saturninum eiusque socios notione minutae maiestatis a Saturnino formata usus est, cum consules cohortaretur, ut operam darent, ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur. (Cicero pro Rab. p. r. 7, 20). Nunquam antea senatus consultum ultimum sic factum est.

5) R. G. V. 221.

6) L. Aelius Stilo orationem pro Caepione reo scriptitavit (Cicero Brut. 169).

Metellus, ging mit diesem 100 v. Chr. in die Verbannung nach Rhodus[1]) nach den gewaltsamen Vorgängen, welche die lex agraria damals begleiteten. In diesem Jahre ist keine Zeit für den Prozess des Caepio, und wenn das auch der Fall wäre, so müssten wir doch annehmen dass im Jahr 100 v. Chr., in welchem die Popularpartei unter Marius, Appuleius und Glaucia alle ihre Massregeln durchsetzte, von einer Freisprechung nicht hätte die Rede sein können." At Stilo, qui orationem pro Caepione modo scriptitavit neque dixit,[2]) eam fecisse potest, priusquam Roma proficisceretur. Iam vero animadvertendum est partes popularium a. CIII. non minus valuisse quam a. C. atque causam Caepionis ex lege de maiestate non apud populum sed apud equites (in quaestione) actam esse.

In lege frumentaria autem scriptum erat, ut frumentum populo semissibus et trientibus veniret. Q. Servilius Caepio quidem, qui per id temporis quaestor urbanus erat, docuit senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam.[3]) Atque si deliberamus maximos sumptus in bellum Cimbricum et Teutonicum factos esse, et ex Sicilia, uberrima provincia, iam quartum annum nulla vectigalia venisse, cum servi totam insulam occupassent et in hunc tumultum summas impensas praestandas fuisse, confitendum est aerarium paene vacuum fuisse.

Quatenus porro leges Appuleiae, etiamsi quam diligentissime exercitae essent, mala reipublicae ingravescentia sanavissent? Credo legem frumentariam inopiae plebis paulum subventuram, sed magnas impensas facturam et inprimis multos egentes homines commoturam fuisse, ut Romam venirent. Lex agraria autem et lex

1) Suet. de ill. gramm. 3.
2) Cicero Brut. 169.
3) Auct. ad. Her. 1, 12, 21.

de coloniis deducendis numerum civium inopum Romae magnopere imminuissent et rusticorum valde auxissent atque eo, quod constitutum erat, ut Italici quoque agros assignandi participes essent, illa lex multo maioris momenti fuisset quam leges agrariae Gracchorum, qui solum plebi Romanae agros attribuere volebant. Sed ad rempublicam denuo constituendam, qua re ea relevari et recreari potuit, leges Appuleiae non valuerunt. Nam quamquam nobilitatis potentia in breve tempus labefactata esset, si magna pars plebis, quae a nobilibus omnino regebatur, iis legibus commota Roma decessisset, tamen subverti non potuit, quoad in suffragii latione comitiorum Romae, penes quae summa potestas erat, prima conditio dominationis paucorum posita erat. Nemini autem illis temporibus in mentem venit rempublicam constituere, quae a viris a toto populo creatis regeretur. Tamen idoneis legibus aliisque rationibus nobilitatis potentia minui et mala reipublicae administratio emendari potuit. Legem autem de maiestate a Saturnino rogatam esse, ut nobilitatem a moribus corruptis depravatisque deduceret, vix quemquam affirmare ausurum esse puto.

Itaque mea quidem sententia Saturninus modo praesenti inopiae plebis Romanae et Italicorum snbvenire voluit. Qua de causa, etiamsi concedatur Marium leges Appuleias adiuvisse, contendi non potest Marium id spectavisse, ut afflictam rempublicam denuo relevaret et recrearet.

De C. Memmio.

Comitiis consularibus a. C. M. Antonio, oratore illo celeberrimo, ἀναμφιλόγως creato[1]) alterum locum C. Servilius Glaucia praetor et C. Memmius, qui a. CXI. tribunus plebis fuerat, petiverunt. Cum autem rationem

1) App. b. c. 1, 32.

C. Glauciae haberi non licere iudicaretur[1]) et Glaucia, ne repulsam consulatus a populo ferret, timeret, is et L. Saturninus C. Memmium interfici iusserunt.[2]) Quare Mommsen,[3]) Ihne,[4]) Neumann[5]) C. Memmium plebis partes reliquisse et optimatium causam secutum esse effecerunt. Num C. Memmius ita fecerit, diligentius exquiramus. Ac primum quidem, quomodo C. Memmius antea in republica versatus sit, disseramus. Acerbissime in senatum a Iugurtha pecuniis corruptum tribunus plebis designatus consuluerat et effecerat, ut Iugurthae bellum indiceretur. Cum vero L. Calpurnius Bestia consul eiusque socius et administer omnium consiliorum M. Aemilius Scaurus item Iugurthae pecunia empti cum eo pacem fecerant, Memmius persuaserat populo, ut L. Cassius, qui tum praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae accersebant, delicta patefierent. Atque etiam C. Memmius, accusator, quaestione extraordinaria a C. Mamilio Limetano, tribuno plebis, posita in eos, qui a Iugurtha pecunias accepissent, cum M. Scaurus sederet advocatus reo Bestiae et funus quoddam duceretur: ‚vide Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor' exclamaverat,[6]) qua maiorem contumeliam principi senatus addi non potuisse arbitror. Neque solum tempore, quo eae res Romae gerebantur, sed etiam alias C. Memmium nobilibus obstitisse verba

1) Cicero Brut. 224.
2) App. b. c. 1, 32; Liv. per. 69; Florus 3,16; Auct. libr. de vir. ill. 73; Oros. V, 17: Cicero Cat. 4, 2, 4.
3) R. G. II⁷ 199, 207.
4) R. G. V, 233.
5) G. R. I, 419, 428.
6) Cicero de or. 2, 70, 283.

quaedam acerbissima a L. Crasso, celeberrimo oratore, contra C. Memmium dicta ostendunt. Nam Cicero tradit L. Crassum in aliqua oratione narrasse C. Memmium comedisse lacertum Largi cuiusdam, cum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus, et tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse litteras L. L. L. M. M. et cum Crassus quaesivisset id quid esset, senem ei quendam dixisse: ‚lacerat lacertum Largi mordax Memmius,' et Cicero addit hanc narrationem a Crasso confictam esse.[1]) Iam Cicero prodit L. Crassum de C. Memmio dixisse: ita sibi ipsum magnum videri eum, ut in forum descendens caput ad Fornicem Fabianum demitteret.[2]) Praeterea accepimus C. Memmium, qui de repetundis postulatus erat, M. Aemilium Scaurum destricto testimonio insecutum esse,[3]) quod, ut mihi quidem videtur, brevi ante a. C. factum est. Nam cum C. Memmius a. C. consulatum peteret, perspicuum est eum antea praetorem fuisse cumque repetundarum accusaretur, concludi potest eum propraetorem provinciam administrasse. Quo autem anno propraetor fuit? Credo, cum a. CXI. tribunus plebis esset et inter singulos magistratus intervallum biennii constitutum esset,[4]) Memmium demum a. CVIII. praetorem fuisse et a. CVII. propraetorem provinciam administrasse posse, ut demum a. CVI. in iudicium vocatus esse possit. Quo anno iam senatores iudicia tenebant.[5]) Quodsi apud eos causa Memmii acta esset, futurum fuisse, ut is, qui senatus

1) Cicero de or. 2, 59, 240.
2) Cicero de or. 2, 66, 267.
3) Valer. Max. 8, 5, 2; Cicero pro Font. 7, 14.
4) cf. Nipperdey: Die leges annales der römischen Republik p. 24 sq. p. 47.
5) Tacit ann. XII, 60; Cicero Brut. 161, 164; cf. Mommsen Röm. Staatsr. III. 1. Abt. p. 531.

auctoritatem maxime labefactaverat et in quem princeps senatus testis prodibat, damnaretur, mihi persuasum est, praesertim cum illa accusatio iniquissima et damnatio P. Rutilii Rufi ab equitibus paucis annis post facta ostendat reverentiam iusti et aequi Romae tum paene exstinctam fuisse. Cum autem Memmius absolutus sit,[1]) puto equites eam causam iudicasse. Itaque Memmius, quod equites iudicia post cladem Q. Servilii Caepionis apud Arausionem acceptam recipiebant, demum post a. CV. accusatus esse potest, qua ex re facile cognitu est Memmium usque ad id tempus cum nobilibus non fecisse.[2]) Iam vero animadvertendum est ne Sallustium quidem, qui accuratius de C. Memmio egit, commemorare eum a plebe ad optimates defecisse, immo narrare eum virum acrem et infestum potentiae nobilitatis fuisse[3]) et de eius libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis dicere.[4])

Qua de causa autem L. Saturninus et C. Glaucia Memmium necaverunt? Existimo, quod is ab equitibus stabat. Nam meo quidem iudicio Memmius iam tribunus plebis, cum animos civium contra nobilitatem concitaret, equitum rationibus servivit, cum ante a. CXI. neque factio popularium neque factio adversaria esset, et plebs animum venalem senatorum non indignata et a novo bello aliena esset, equitum autem permagni interesset Iugurtham profecto in ditionem potestatemque civitatis redigi. Plebs

1) Val. Max. 8, 5, 2; Cicero pro Font. 7, 14.

2) Lange Röm. A. III, 81) affirmat Memmium a. CIV. praetorem fuisse nulla causa allata. Ex locis quidem, qui subnotat, solum concludi potest Memmium orationem pro se habuisse. Priscian 8, 4, 19: C. Memmius: Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita: Sueton. vit. Ter. 3: C Memmius in oratione pro se ait. Wehrmann (fasti praetorii) nihil de Memmio disseruit.

3) Bell. Iug. 27.

4) Bell. Iug. 30.

enim ipsa assueverat pecunias accipere et ab candidatis magistratuum et ab aliis atque tantopere honestas et probitas exstincta erat, ut Memmius dicere posset peculatum aerarii et sociorum direptionem consuetudine iam pro nihilo haberi.[1]) Quam parum eam largitio senatoribus a Iugurtha facta moverit, vel inde apparet eam paucis annis post non dubitasse legem Serviliam de senatui iudiciis reddendis sciscere, quamqu amprovidendum erat senatores, iudices, non minus venales futoros esse quam antea. Accedit, quod Saturninus, quem modo homines populares sequebantur, tantam invidiam quantam Memmius nobilibus conflare non potuit, cum legati Mithridatis regis pecunia senatum ad suam causam perducerent.[2]) Etiam plebs novum bellum suscipere noluit,[3]) cum in bellis in Cimbros et Scordiscos conflatis Papirius Carbo et Livius Drusus consules fugati essent.[4]) Marius autem coactus erat capite censos scribere. At equites magno odio in nobilitatem incensi erant, quod multi negotiatores Cirtae a Iugurtha inulti interfecti erant et ipsi propter bellum male gestum magnas pecunias amiserant et timere debuerunt, ne, quoad ille acer ac strenuus rex superatus regnabat, etiam maiores res familiares corrumperent. Quae cum ita sint, Memmium, tribunum plebis, inprimis equitum causam defendisse et cum iis consilia communicasse puto, praesertim cum eius ratio in contione versandi et dicendi cum Saturnini comparari non possit. Nam magnopere plebem cohortatus est, ne manu ne vi contra eos, qui hosti prodidissent rem publicam, irent. Ac exempli causa in oratione apud populum habita his

1) Sall. bell. I. c. 21.
2) Diod. 36, 15.
3) Sall. bell. I. c. 84, 3.
4) Liv. per. 63.

verbis utitur:[1]) Neque ego vos hortor, quod saepe maiores vostri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est suomet ipsi more praecipitis eant' et:[2]) ,Dicet aliquis: Quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam? Non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae.'

Memmiusne autem ab anno CV. usque ad annum C. quam causam relinquendi equitum partes habuit? Credo eum sortem L. Papirii Carbonis, qui quamquam a Gracchorum partibus ad optimates defecerat, a L. Licinio Crasso, quod motuum Gracchorum particeps fuisset, accusatus se ipsum vita privaverat, deterrituram fuisse. Praeterea deliberandum est equitum auctoritatem, cum ad eos iudicia denuo translata essent et C. Marius, qui ab iis stabat, identidem consul crearetur, eo tempore etiam magis valuisse quam antea, ut Memmius in spem ingredi posset se eorum auxilio omnia dignitatis incrementa assecuturum esse. Itaque cum Memmius a. C. popularium partium studiosus non esset, affirmari posse mihi videtur Memmium etiam consulatum petentem equitum partium fuisse. Ex quo causam cognoscimus, quae equites commovebat, ut in iudiciis Saturnini socios vehementissime persequerentur. Nam gravissime tulerunt, quod is, cui favebant, ab iis interfectus erat.

Usque ad annum C. ordo equester et popularium partes communibus rationibus coniunctae erant, ut Marius quinquies in ordinem consul fieret. Cum autem equites, qui magnos agros in Gallia Narbonensi petebant, consilia sua lege agraria et lege de coloniis deducendis Saturnini

1) Sall. b. I. c. 31, 6.
2) Sall. b. I. c. 31, 18.

ad irritum redigi viderent, tanta dissensio orta est, ut a. C. populares C. Servilium Glauciam, equites, ut supra ostendere conati sumus, C. Memmium consulem creare vellent.

Quod autem etiam Marius equitibus summa necessitudine adiunctus erat, verisimillimum est eum rationes cum Memmio habuisse.

Theses.

1. C. Marium consulem VI. non, ut Mommsen, Ihne, Neumann, alii affirment, cum L. Saturnino ad leges Appuleias perferendas se coniunxisse, immo iis ab initio obstitisse.

2. C. Memmium non, ut Mommsen, Ihne, Neumann contendant, a plebe ad optimates defecisse, sed et tribunum plebis et candidatum consulatus equitum partium studiosum fuisse.

3. Parasangam, quo Xenophon usus sit, tria milia passuum sive 4436 metra Gallica longum fuisse.

4. Multas res, quae duci Friedlandiae crimini dentur, ab exulibus Bohemorum confictas esse.

Vita.

Natus sum Conradus Paape a. h. s. sexagesimo primo postridie Non. Aug. Landsbergae, in oppidulo Prussiae orientalis, patre Heinrico, qui ibi magister civium erat, matre Laura de gente Ploch. Illum ante triennium mihi morte ereptum lugeo, hanc pietate colo semperque colam. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola urbica imbutus tertium decimum annum agens gymnasium Bartensteiniense frequentavi, ubi vere a. 1882 maturitatis testimonium adeptus sum. Tum almae universitatis Regimontanae civibus adscriptus per duodecim semestria studiis historicis, geographicis, philologicis operam dedi. Sodalis fui seminarii historici professoribus illustrissimis Rühl et Prutz et geographici professoribus ill. Zoeppritz antea, nunc Hahn dirigentibus. Examen rigorosum postridie Kalend. Jul. h. a. absolvi. Audivi hos viros illustrissimos:

Dahn, Dehio, Friedländer, Hahn, Hirschfeld, Jordan †, Lohmeyer, Ludwig, Prutz, Ruehl, Schubert, Thiele, Tschackert, Walter, Wichert, Zoeppritz †.

Quibus viris cum omnibus gratias ago, tum praecipue, quantum mihi profuerint Ruehl, Prutz, Hahn semper in animo habebo.